C. J. Wardebergensis
(praes. Jac. Martini.)
Problemata quaedam
ex 1. cap. Genes. deprompta.
Witt., 1632.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

1,-64

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00784 0

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

בשם יהוה אלהינו:

Diſquiſitio ſuccincta
Problematum quorundam ex 1. cap. Geneſ. depromptorum,
de
CREATIONE,
Quam
SUB PRÆSIDIO
Viri admodum reverendi Clariſſimi & Excellentiſſimi,
Dn. JACOBI MARTINI
Sacroſanctæ Theologiæ Doctoris celeberrimi, & Profeſſoris primarii, & ejusdem facultatis Senioris graviſsimi, Templi ad arcem Præpoſiti, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici aſſeſſoris digniſsimi, fautoris & Præceptoris ſui omni obſervantiæ cultu proſequendi,

Publicè ad placidam collationem habendam
proponit
CLAUDIUS JANI VVardebergenſis Hallandus Danus.
Ad diem 9. Decemb.

WITTEBERGÆ,
Ex Officina Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI.
ANNO 1632.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Viris admodum Reverendis, Clariſſimis & excellentiſſimis,

DN. JOHANNI PAULI RESENIO, SS. Theologiæ Doctori excellentiſsimo & Profeſſori celeberrimo, facultatis Theologicæ ſeniori gravißimo, Eccleſiarum Daniæ Archiepiſcopo digniſsimo, Sielandiæ Superintendenti vigilantiſsimo, Præceptori, fautori, Promotori & Patrono ſuo Parentis loco ſemper obſervando.

DN. CASPARO ERASMI BROCHMANNO, SS. Theologiæ Doctori excellentiſsimo, & ejuſdem in Academia Danorum Hafnienſi Profeſſori Primario, ſummo facundiæ ſplendore eminentiſsimo,

DN. NICOLAO PETRÆO, SS. Theologiæ Doctori excellentiſsimo, & Profeſſori celeberrimo, Orientalium linguarum callentiſsimo,

DN. M. JOHANNI ERASMI BROCHMANNO SS. Theologiæ Profeſſori clariſsimo & excellentiſsimo,

DN. M. JOHANNI JOHANNIS RESENIO, Logices & Metaphyſices in Academia Hafnienſi profeſſori clariſsimo & excellentiſsimo, propenſo grati animi affectu nunquam non proſequendo.

Dominis Præceptoribus, favitoribus & Promotoribus ſuis, omni gratitudinis & obſervantiæ cultu æternùm honorandis,

munus hoc chartaceum
Wittebergâ transmiſſum,
demiſſo animo venerabundus,
ſe & ſua ſtudia commendans
offert & dedicat

Claudius Jani W.
V. E.
obſervantiſsimus cliens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

I.

NIhil humanæ rationi magis eſt arduum, nec quicquam mentibus divinâ Evangelii luce non illuſtratis difficilius perſvaderi poteſt, quam ingens hujus mundi theatrum, quod vel immutabili ordine diſpoſitum manere, vel generationum continuè ſuccedentium ſerie colligari continuariq; vident, ortum habere; & â nihilo tantam fabricæ molem ſubito productam, nulliq; creatoris defatigatione, ſed ſolo nutu verboq; parvulo temporis ſpacio eſſe conformatam.

II.

Nam quamvis ingenioſiſsimus ille Plato, qui Divini cognomine apud ſuos eſt inſignitus, Sacerdotum Ægyptiorum operâ uſus, mundum â Deo diſpoſitum cognoverit; tamen quam difficulter hoc diſcipulis ſuis probaverit, ſatis ſuperq; teſtatur, quod ſagaciſsimum quemq; contrariam ſententiam arripuiſſe, & magiſtri veſtigia vix quenquam preſsiſſe videamus. Nec adduci ipſe Plato potuit, ut ex nihilo mundi machinam exſtructam crederet: Verum quod infinitis temporum ſpaciis præexiſtentem quandam materiam Deus in ordinem redegerit, & inde univerſitatis hujus ædificium conſtruxerit, exiſtimavit, quod ſatis patet ex ejus Timæo.

III.

Platonem Ariſtoteles, qui ſuo jure philoſophorum parens & princeps appellatur, tempore quidem, ſed non opinione eſt ſecutus, ut videre eſt. 8, Phyſ. c. 1, 2, & 1, de cœlo, c. 10. & ſeq. Eloquentiſsimus a. Cicero, qui anteceſſorum ſuorum opiniones unum in fluvium corrivavit, quam his aquarum inundationibus abreptus ipſe fluctuet, ex libris, quos de natura Deorum conſcripſit, ſatis apparet. Quod pluribus ut argumentis probemus, non eſſe hujus loci vel inſtituti videtur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

IV.

Relinquitur itaq; ex ſolis ſcripturæ fontibus, hanc de mundi creatione doctrinam, quoniam ex aliis ſitibundi plane, ut venimus, dimittimur, tuto peti & hauriri poſſe, quod eleganter Auguſtinus 11. de civitate Dei, c. 4. pronunciat: Quod Deus mundum fecerit, nulli tutius credimus, quam ipſi Deo. Ubi eum audivimus? Nusquam interim nos, melius quam in ſcripturis ſacris, ubi dixit Propheta ejus: In principio fecit Deus cœlum & terram. Itaque cum præcipuam hujus articuli ſedem primo cap. Geneſeos fundatam videamus, inde pauca quædam problemata animo ſitienti exhauſta delibabimus, Deum orantes, ut fontes hos perpetuo puros apud nos conſervet, & ſemper ad nominis ſui gloriam nos inde ſine ſordidæ rationis limo haurire concedat.

V.

Hunc autem ſcopum Moſes capite primo ſibi præfigit, ut probet contra Philoſophos mundum non eſſe æternum, ſed aliquando cœpiſſe: Ideoque divino Spiritu afflatus totius univerſitatis creandæ ordinem & rationem deſcribit. Partitio trimembris fieri poteſt. I. De creatione materiæ & continentis, à v. 1. ad 11. 2. De contenti conformatione, à v. 11. ad 26. & 3, De Præfecti ſeu hominis diſpoſitione, à v. 26. ad finem. Quibus generaliter præmiſsis ad ipſum textum conſiderandum nos conferemus.

VI.

In Principio creavit Deus cœlum & terram.

In quam varias expoſitionum partes ſacrarum literarum interpretes ſe dividant, & quæ ſint ſegregationis hujus cauſæ, vel ex primâ libri voculâ conſpici poteſt. Nam 1. Lingvarum, quarum profundiſsimo decurſu ſacroſancta hæc flumina fluunt, ignorantia, 2, Tumiditas, quâ ſe terrena hæc aqua elevat, & ſublimitatis titulum affectat, & 3. Perſvaſio, & ante conceptæ opiniones, dum ſenſum Scripturis inferre, non inde auferre volumus, ſemper fuerunt & erunt errorum hæreſiumq; ſcaturigines.

Quadru-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

VII.

Quadruplex a. de primæ vocis ſignificatione præcipuè controverſia agitatur. Nam 1. ſignificatur hìc principium temporis, quod una cum indigeſta iſta cœli & terræ mole cœpit. Nec usq; adeo moramur ſubtilitates iſtorum, qui quæſiverunt an mundus in tempore, an v. in æternitate ſit creatus. Si n. in æternitate eſſet creatus, utiq; æternus eſſet; ſin in tempore, utiq; tempus quoddam ante mundum fuit. Nam reſpondetur non quidem in tempore ſed cum ipſo tempore factum eſſe mundum. Auguſt. lib. 11. De civit. Dei, c. 6. Chaldæus pluraliter expreſsit per בְּקַדְמִין, In prioribus, ſeu antiquitus; egregiè Platonicorum de continuâ mundi generatione & creatione nebulas diſpellens. Quâ de re videri poteſt Ficinus in Timæum, c, 13, 14.

An temporis principiũ hìc significatur? Aff.

VIII.

2. Targum Hieroſolymitanum reddidit בְּחוּכְמָה In ſapientia, reſpiciens ni fallor ad Pſalm. 104, 24: Regerimus autem ſenſum quidem bonum eſſe, nec rem ſe aliter habere: Verum רֵאשִׁית ſapientiam denotare, id verò pernegamus.

IX.

3. Ex hac Chaldæi interpretatione, velut ex primo fonte, fluxiſſe videtur Origenis ſententia, qui principium pro ſapientiâ, ſapientiam v. pro filio Dei ſumpſit, teſte Theodoreto: Et Auguſtinus hanc ſibi ſententiam non diſplicuiſſe declarat, 11 lib. de civ. Dei, c. 32, hæc in verba erumpens; Illud quod dictum eſt in principio, non ita dictum tanquam hoc primum factum ſit, cum ante fecerit Angelos, ſed quia omnia in ſapientiâ fecit, quod eſt verbum ejus. Et paulo poſt addit: Ita dicitur, In principio fecit Deus cœlum & terram, ut pater fecisse intelligatur in filio. Verum ſi ſic ſcripturæ ſententias detorquere liberet, qvis tandem eſſet opinionum diverſarum modus? Rem quidem, cum per ſe ſit veriſsima, ambabus, quod dicitur, ulnis excipimus, verum hunc hujus loci ſenſum, non enim quodvis quovis in loco dicitur, repudiamus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

X.

Ut verò ſpeciem quandam certitudinis huic ſuæ ſententiæ concilient, tria præcipuè loca prætexunt. Primum ex Pſalm, 40,8, præſidium adducunt: In capitulo libri ſcriptum eſt de me, ubi primum hoc caput Geneſeos, & quidem hoc primum capitis verbum arbitrantur intellectum. Verum nihil hic eſt ſolidi firmamenti: Nam in Hebr. eſt מְגִלָּה, quod nequaquam caput libri cujusdam diſtincti, ſed convolutionem ſeu librum totum convolutum denotat, ideoq; non primum caput Geneſeos, ſed tota potius ſacroſancta Biblia ſunt intellecta.

XI.

Secundum locum ex Pſalm, 104, 24, allegant: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. Quibus eandem, quam his verbis attribuere volunt ſententiam. Verum neç hic quicquam ſubſidii illis ſubminiſtratur. Nam ſi vel hic de Chriſto locus loqueretur, nihil tamen cogeret, ut & eandem illi ſententiam affingeremus. Sed בְּחָכְמָה perſonam ſecundam Trinitatis denotare non videtur; ſed ſapientiam Dei eſſentialem tribus perſonis communem indigitat, & Adverbii Sapienter periphraſin, ut Hebræis in more eſt poſitum, facit: Quod etiam ex ſummâ & devotiſsimâ contextus admiratione liquet.

XII.

Tertium ſententiæ ſuæ fundamentum aſtruere conantur, ex Joh. 8,25. Ubi Chriſtus Judæis quisnam eſſet, quærentibus reſpondit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Quod exponunt: Principium (ſum) quod & loquor vobis. Ubi Chriſtum ad hoc Geneſeos dictum alluſiſſe, & principium ſe nominaſſe rentur, & ὅτι per Quoniam conjunctionem cauſalem interpretantur. Verùm verba Chriſti hac ratione in alienum plane ſenſum torquentur. Nam 1. hoc pacto Chriſtus adverſantium quæſtioni non occurreret, ſed in diverſam penitus viam reſponſionis ſuæ currum flecteret. Judæi enim primo caſu interrogarent: Σὺ τίς εἶ; Chriſtus v. quarto caſu reſponſum daret: τὴν ἀρχὴν. Quo quid ſtatui poteſt abſurdius?

2. Τὴν

XIII.

2. Τὴν ἀρχὴν adverbialiter hic reddendum eſſe ex vetuſtiſsimo Johannis Paraphraſte Nonno liquido patet:

Τίς σὺ πέλεις, ϗ χριστὸς ἀνίαχεν, ὅττι περ ὑμῖν
Ἐξ ἀρχῆς ὀαρίζον.

Cui verſio Syriaca ſuum quoq; calculum addidit exprimens;

ܐܦ ܕܫܪܝܬ ܕܐܡܠܠ ܥܡܟܘܢ: Etiam (ſum) quod incepi loqui vobiſcum. Tremellius tranſtulit: Etiam quem incepi ut loquerer vobiſcum. Ex quibus duobus integerrimis expoſitoribus longe aliam videmus dandam horum verborum explicationem, quam Latini attulerunt. Nam 1. τὴν ἀρχὴν non per nomen; ſed Adverbium, vel nomen cum præpoſitione ἐξ ἀρχῆς, Ab initio transferendum eſſe maniſeſtiſsimê indigitant. 2, ὅ, τι virgula interſecandum, & per relativum eſſe reddendum conſentienter aſſerunt. Quod autem ex Pſalmo 110. adducunt; illic in Heb. nullum eſt Principium, Videri poteſt p. m. Franzius de interpr. ſacr. ſcript. p. 32. Tarnovius in Exercit. bibl. p. 115.

XIV.

Et ut videamus quantas error in principio parvus, in progreſſu dare turbas, & confuſiones excitare queat, aſſeruit Tertullianus, & ejus veſtigia ſequens Hilarius in Hebræo, hæc verba ſonare, In filio, teſtante Ludovico Vive in 1. Aug. de civ. Dei, c. 32. Amama Antib. bibl. p 776. Hîc jam nobis alieniſsimam à ſacroſanctorum fontium teſtimonio, verborum ſpeciem imponerent, graviſsimam illorum autoritatem elevantes, niſi fidelem integerrimorum teſtium vocem propriis auribus audiendi nobis facultas daretur. Itaq; linguarum ignorantia in primariis his Eccleſiæ luminibus Hilario & Tertulliano ſatis apertè ſe prodidit. Nimiî ſubtilitatum affectatione Rabbini & illorum aſſeclæ, ita ſe ſæpius efferunt, ut ſuî ſubtilitate facilè evaneſcant. Origenes autem & Auguſtinus hanc totam creationis hiſtoriam ad præconceptas ſuas opiniones ut deflectant, immane quam laborant! Sed tempus eſt ut ad alia progrediamur.

ברא

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

XV.

Verbum Creare quid importet.

בָּרָא] Creavit hic ſignificat ex nihilo produxit, quemadmodū Abenezra ex aliorum ſententia definitionem refert, הַבְּרִיאָה לְהוֹצִיא יֵשׁ מֵאַיִן creatio eſt ex nihilo producere, Chemnitius in locis pag. 114. ex Fagio pulcherrimas vocum differentias citat: Creare eſt à non eſſe ad eſſe producere: Formare Enti creato formam ſeu figuram inducere: Facere, abſolvere & ad certum uſum aptare. Et ſane ut creare cum cernere convenit, ab eo quod cum quid creatum eſt, tunc denique videtur, ut habet M. Varro lib. 5. de L.L. part. 8. ita בָּרָא cum רָאָה conſpirat. Forſterus in voce ברא. Nam ἐκ τῶν μὴ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γέγονε, Hebr. 11. v. 3.

XVI.

Plato Deum ex æternâ præexiſtenti materiâ, inordinatâ tamen & confuſâ mundum condidiſſe ſtatuit, quod in Timæo his verbis protulit: πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν ὁ θεὸς παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας. A quâ ſententiâ non procul diſceſsiſſe videtur AbenEzra in commentario dum ברא pro ברה elegit, purificavit, poſitum aſſerit, explicationem adjiciens, וְטַעְמוֹ לִגְזוֹר וְלָשׂוּם גְּבוּל נִגְזָר: Et ratio ejus (ſeu ſignificatio eſt) decernere & decretum ſeu determinatum terminum ponere. Verum falluntur & fallunt, evidentiſsime Eſ. 41. 24. Prov. 8, 24. Heb. 11, 3. *Rom.* 4, 17. refutati.

XVII.

An אֱלֹהִים *perſonarū pluralitatem importet. Aff.*

אֱלֹהִים] Cur divinus vates nomen plurale verbo ſingulari addiderit, varii varias opiniones in medium protulerunt. R. Schelomo Iarchi ſtatuit, quod numerus pluralis אֱלֹהִים ad miſericordiam Dei connotandam ſit uſurpatus in commentario inquiens: לא נאמר ברא יי שבתחלה עלה במחשבה לבראתו במדת הדין וראה שאין מתקיים והקדים מדת רחמים ישתפה למדת הדין: Non dictum eſt creavit Jehovah, quia in principio aſcendit in cogitationem, ut crearet eum, (mundum) in proprietate judicii, &

vidit

vidit quod non perſeveraturus eſſet, & antevertit proprietas miſericordiæ, & communicavit cum proprietate judicii. Verum quid aliud hæc quam nugæ ſunt & portentoſa ſomnia: Nam conſilii divini alterationem, neſcio quam, hic nobis affert, quaſi Deus mutabilis eſſet, & non uno intuitu præſentia futura & omnes temporum cohærentias intueretur. Præterea ſatis â Chaldæo ſuo paraphraſte Onkelos, quem alias tanti facit, ut ne obmutire quidem audeat, qui per יְיָ hoc loco tranſtulit, refutatur.

XIIX.

AbenEzra & multi ejus ſectatores dignitatis & ſummæ Majeſtatis exprimendæ causâ, Moſen dê Deo numero plurali locutum autumant. Sic enim AbenEzra in commentario:

אחר שמצאנו אלוה ידענו כי אלהים לשון רבים ושרש זה מדלך הלשון כי כל לשון יש לו דרך כבוד וכבוד לשון לועז שיאמר הקטון לנוכח הגדול לשון רבים ובלשון ישמעאל דרך כבוד ש דבר הגדול כמו המלך בלשון דבים ובלשון הקדש דרד כבוד לומר על הגדול לשון רבים: Quod verti poteſt: Poſtquam invenimus אֱלוֹהַּ (numero ſingulari) cognovimus quod אֱלֹהִים ſit numerus Pluralis, & iſta eſt radix ex via (id eſt, ſecundum conſuetudinem) linguæ: Nam omni linguæ eſt via quædam honoris. Et honor eſt in linguâ barbarâ quod alloquatur minor majorem numero plurali, & in lingua Iſmaelis (Arabica) via eſt gloriæ, quod loquatur magnus, veluti Rex, numero plurali. Et in lingvâ ſanctâ via eſt gloriæ loqui de magnate numero plurali. Hæc AbenEzra.

XIX.

Verûm ſi rem diligentius penſitemus & excutiamus, non multum ponderis in divinis hanc opinionem habere deprehendemus. Nam 1. cum idem & æqualis honor Deo ſit ſemper & ubique tribuendus, cur pluralis numerus non ſemper & in omnibus Dei nominibus uſurpatur. 2. Grave itaque delictum committeretur, quando numero ſingulari nomina

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Dei & inprimis אֱלוֹהַּ pronuntiaretur : Hab. 3. v. 3. Pſalm. 18, 32, & 114. v. 7. Job. 12. 4. Videatur Excellentiſsimus D. Jacobus Martini Præceptor noſter obſervandus, lib. 1. de tribus Elohim, c. 3. 3. Majeſtatis iſta denotatio fieret potius in iſtis locis, ubi ſingularis dictis autoritas eſt concilianda, in mandatis ſcilicet Dei proferendis, in orationibus fundendis & aliis Dei compellationibus, non in narrationibus texendis, ubi non tam dignitas, quam veritas conſideratur. Conferantur ſaltem omnia prophetarum exordia, quibus hic pluralis numerus ad autoritatem comparādam maximè competeret, & ne ſemel quidem illic invenietur.

XX.

3. Probabilius itaque videtur aſſeri, quod ſublimius pro modo revelationis illis temporibus competente, in ipſam perſonarum divinarum pluralitatem digitum Spiritus ſanctus intendat, dum nomine plurali perſonarum pluralitatem; Verbo autem ſingulari eſſentiæ & actionis hujus externæ unitatem expreſsit, juxta communem Hebræorum regulam: Verbo ſingulari nomen plurale adjunctum diſtributionem ſive partitionem denotat. Videatur Buxt. Theſaur. Gramm. lib. 2. c. 10. p. 525. In hac autem ſententia ſunt Lutherus in hoc ipſum caput, Hunnius, Jacobus Martini de tribus אֱלֹהִים Bald. in caſ. conſc. Gerhardus tom. 1. p. 207. & ſeq. Schindlerus, Forſterus & alii. Non negamus autem vocem iſtam numeri pluralis accommodari poſſe etiam perſonis ſingulis: Idipſum v. ob nullam cauſam aliam, quam ob Trinitatis arcanum, ait ſummus Theologus Ægidius Hunnius in Geneſin, cujus opera auro æſtimari non poſſunt.

XXI.

Num cœli & terræ nomine rudis materiæ moles exprimitur. A.

אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ׃] Quid hic cœli & terræ nomine deſignetur, non inter expoſitores una fovetur ſententia. 1. Quidam cœli nomine Angelos putaverunt intellectos: Terræ v. ambitu naturalia ſeu terreſtria contenta. Quam ſententiam & D. Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei, c. 33. his verbis attigit: In principio fecit Deus cœlum & terram: Quibus nomini-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

nominibus univerſalis eſt ſignificata creatura, vel Spiritualis vel corporalis, quod eſt credibilius: vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia quæ creata ſunt continentur. Et ſane ſi qua ſententia earum, quas Auguſtinus de Angelorum creatione adducit eſſet eligenda, maximam veritatis ſpeciem hæc haberet. Nam de principio, luce & aquis ſupercœleſtibus, tot enim de creatis Angelis adfert opiniones, multo plus à ſimplicitate recedunt. Quod & neceſſe eſt eos ſtatuere, qui verba ſequentia, Terra erat inanis & vacua, de materiâ primâ explicant. Nam in ſecundo verſu non alius terræ mentionem fieri, quam primo ה הָיְ דוְעָר additum manifeſto eſt indicio.

XXII.

2. Auguſtinus aliás cœlum & terram, omniaq; in iis contenta, uno temporis momento diſtinctè eſſe condita exiſtimavit. Poſtea v. in 6. dierum explicatione, de cognitione matutina & veſpertinâ, mirè & miſerê ſe torquet. Et duo præcipuê loca pro hac ſententiâ confirmandâ afferuntur. Primo ex interpret. 70. c. 2. Gen. v. 4. allegatur: Cum factus eſt dies, in qua fecit Deus, cœlum & terram. 2. Ex Eccl. 18. v. 1. ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα, ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ. Putant autem κοινῇ illud per ſimul redditum ad tempus referri, & verbum creandi determinare. Verum longe aliter ſe res habet. Nam κοινῇ illud non verbum; ſed nomen τὰ πάντα determinat, & non per ſimul de tempore, ſed per communiter ſeu univerſaliter de prædicato eſt explicandum, adeò ut hic ſenſus emergat: Nihil eſſe quod Deus non creaverit. Prius autem dictum in fontibus ita ſonat: In die facere (cum faceret) Deus. Dies a. illic pro tempore ſumitur.

XXIII.

3. Quidam etiam putarunt propoſitionem totius capitis à Moſe hic præfigi, quæ poſtea per partes explicetur, ut refert Chem. in locis, p. 120.

XXIV.

4. Maximè v. conveniens Lutheri ſententia in comm. in Geneſin videtur, quod rudis & indigeſta quædam materiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

moles, unde poſtea cœlum & terra cum contentis ſunt diſtinctè producta, hic deſcribatur, ſimiliter & Hunnius in Geneſin, Chemnitius & alii. Et ita ferme videtur Ovidius ex Sibyllarum traditione ceciniſſe:

Ante mare & terras, &, quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaq; moles.

XXV.

Marginal note: Quid תהו ובהו *significent.*

תֹהוּ וָבֹהוּ] LXX. reddiderunt: ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, quam verſionem & Auguſtinus ex parte ſecutus eſt, lib. 11. de civit. Dei, cap. 32. Terra autem erat inviſibilis & incompoſita. Quanquam rectius ἀκατασκεύαστος per inelaboratum, impolitum & imparatum poſſet transferri. Verùm genuinam verborum indolem minùs hæc verſio aſſecuta videtur.

XXVI.

Chaldæus vertit צַדְיָא וְרֵיקַנְיָא vaſta & vacua, Targum Hieroſolymitanum latius pro more ſuo hæc diduxit & explicavit: תַּהְיָא יְמַהֲיָה יַצְּדוּ מִן בְּנֵי אֱנָשָׁא וְרֵיקַנְיָא מִכָּל בְּעִיר: Vaſta erat filiis hominis, & vacua omni beſtia.

XXVII.

Et ſi primas vocum radices effodere & perſcrutari libet videbimus תהו à תְּוָה seu תָּאָה, determinavit, deſignavit, definivit expullulare, ut & Forſt. in lexico deduxit, ut ita ſurculus in contrariam partem per Antiphraſin, ut vocant, flexus indeterminationis denotationem producat & progerminet, quia fuit moles indigeſta & inordinata, nulla erat tunc locorum diſtinctio, nulli montes, viæ, valles, ut beatæ m. Lutherus in Geneſin eſt commentatus. Abenezra. התהו שאין בו ממש. In quo non eſt aliquid.

XXIIX.

Schindlerus in lexico pentaglotto ad Chaldaicam radicem תְּהָא ſtupuit, miratus fuit, refert, ſecutus R. Salomonem in commentario: תהו לשון תמה ושממן שאדם תוהה ומשתומם על בהו שבה: Itaque ſi radix utraque conjuncta mi-

cta mi-

cta miſceretur, emergeret pro ſignificatione admiranda & ſtupenda quædam indeterminatio ſeu indigeſtio. Ad tres autem res præcipuè denotandas adhibetur. 1. Solitudinem & vaſtitatem, ubi omnia ſunt inordinata & indigeſta, Pſalm. 107, 40, Job 26, 7. ſignificat. 2. In naturam Adverbii Fruſtra ſeu inordinate degenerat, Eſa. 45, 18. & 49, v. 4. 3. Idola & numina commentitia deſignat, extra præſcriptum verbum Dei & ordinationem divinam conſcientias confundentia & perturbantia, 1. Sam. 12, 21. Eſa. 29, 21.

XXIX,

בֹהוּ a בָּנָה enaſcitur, cui contrariam habet ſignificationem, & denotat inædificationem ſeu inædificatam quandam molem. Hoc a latere ſocii ſui תֹהוּ nunquam diſcedit. ſed ter eo ſtipatum in ſacris monumentis invenitur, præter hunc locum ſc. Eſa. 34, 11. Jer. 4, 23.

XXX.

Et ſi generaliter res intueri voluerimus, non inconvenienter videbitur תֹהוּ per indeterminationem ad ſpecies ſingulas; qua ſpecies in informi & materiali hac mole per formas nondum erant diſtinctæ: בֹהוּ per inordinationem ad ſua loca propria; quî nondum ſingulis, cœlo, elementis, animantibus, plantis, & reliquis propria erant loca diſtributa explicari.

XXXI.

וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל פְּנֵי הַמָּיִם׃ Rabbini hic intelligunt ventum quendam creatum & naturalem, nec tamen in omnibus cõveniunt: Nam alii אֱלֹהִים additum venti vehementiam deſcribere putant, ut alias nomina Dei ſubſtantivis addita: Alii ſaltem quod à Deo ventus eſſet emiſſus denotare exiſtimant. Sic enim Abenezra habet: סמך הרוח על השם בעבור היותו שליח בחפץ השם לייבש המים Regimen eſt (vocis) רוּחַ ſuper nomine, (,: Deo propterea quod eſſet emiſſus in voluntate nominis ad deſiccandas aquas.

An Spiritus Dei tertiam perſonam dignitatis denotat? A.

XXXII.

Verùm 1. Nondum ventus erat in rerum naturâ, ut

 maſcule

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

maſculè Megalander noſter Lutherus in notis marginalibus reſpondet, quomodo igitur flare vel ſpirare poterat? 2. Nec ejus receptaculum & cauſæ erant in ordinem digeſtæ: Nam firmamentum tum temporis non erat diſpoſitum, nec lux aut aſtra ſigillatim condita extabant. 3. Verbum רחף nunquam in ſcripturis de continuo rei fluxu & partium ſucceſsione, quali ventus continuè circumgyratur; ſed de tremulâ, commota & affectuoſâ rei eodem in loco manentis incubatione & agitatione uſurpatur.

XXXIII.

2. Lutherus ait, ſi quid materiale hic per ſpiritum eſſet intelligendum, mallem id eo referri, quod illa rudis materia cœli & terræ cœperit moveri, ſicut hodie movetur. Verum magis ex antiquitatis conſenſu hæc de Spiritu ſancto interpretari ſibi placere aſſeverat.

XXXIV.

Nam, 3. ſanctis Patribus ſuffragantibus, tertia perſona Trinitatis Spiritus Sanctus, qui æternus una cum æterno Patre & coæterno filio informem futuri operis materiam creavit, creatamq; ſingulari diſpenſatione & operatione fovit, & idoneam ad alias creaturas producendas reddidit, hic deſcribitur, & à nobis intelligitur. Sicut Pſalm. 33, 6. canitur: Verbo Domini cœli facti ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

XXXV.

Nec aliter Targum Hieroſolymitanum ſenſiſſe videtur transferens רוּחָא דְרַחֲמִין מִן קֳדָם יְיָ:, Spiritus miſericordiarum à coram Domino, id eſt, à conſpectu Domini procedens. Nam quis eſt Spiritus ille amoris & miſericordiarum, qui à Dei conſpectu procedit, niſi qui ſubſtantialis eſt Dei amor, & amorem Dei in nobis efficiens per Dei miſericordiam Deo nos aſſociat?

36. Vul-

XXXVI.

Vulgata autem Verſio ſatis Emphaſin verbi מְרַחֶפֶת non expreſsit, dum reddidit: Ferebatur ſuper aquas. Nam reddendum eſt potius: Expandebat ſe (tanquam avis) ſuper aquas. Incubabat aquis, Oſiand. Agitabatur expanſione alarum, Forſt. **ſchwebet auff dem Waſſer**/ Lutherus. Nam propriè hoc verbum avibus tribuitur, quæ ovis ſuis incubando, vitali calore ea fovent, ut ad pullos excludendos aptæ reddantur. Unde poſtea Syr. רַיְחָפָא denotat affectum propenſum & benignum, & Græcum *σπλάγχνα* exprimit Phil. 2. v. 1. Nam Spiritus ſanctus, qui Dei amor ſubſtantialis eſt, intimo amore creaturas complexus, calore vivido & vitali fovebat, & vires, vitam ac motum iis indidit ad res alias producendas. Officium enim Spiritus eſt ſancti vivificare, inquit magnus noſter Lutherus.

XXXVII.

Et videtur R. Schelomo Jarchi quid ſupra ſuum ipſius ſenſum & captum locutus eſſe, dum hæc verba protulit in commentario: כסא כביד עומד באויר ומרחף על פני המים: ברוח פיו שלקבה ובמאמרו כיונה המרחפת על הקן: Thronus gloriæ ſtabat in aêre, & expandebat ſe ſuper aquas, per Spiritum oris (NB.) ipſius ſancti, qui benedictus ſit, & per verbum (NB.) ſuum expandens ſe ut columba ſuper nidum. Quæ verba ex traditione quadam veluti ſui ignarus adduxiſſe non ſine ratione videtur.

XXXIIX.

Verſ. 3. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים] Verbum hoc, quo Deus dicendo omnia creavit, quodnam fuerit multorum mentes in diverſas partes diſtraxit. Nam 1. הגון pro וירצה, Et voluit, diſpoſitum putavit, referente AbenEzra. Cui propinqua eſt Auguſtini expoſitio; Dixit, hoc eſt, fuit ab æterno in verbo Patris ita definitum, ut citat Lutherus Tom. 6. Witt. fol: 4; Verum domus nullis columnis ſuffulta facilè per ſe corruit.

An Verbū v. 3. ſecundam Divinitatis perſonam includit? A.

2. Ipſe

2. Ipſe AbenEzra per Juſsit explicat, ita dictum exiſtimans, propterea, quod ſine defatigatione operatio eſſet. Cujus ſententiam & Matthias Flacius Illyricus amplexus eſt, parte 1. Clavis ſcript. in voce verbum, negans myſterium de filio Dei hoc in loco contineri. Verum D. Johannes in Evangelii ſui exordio adeò dilucidè ad filium Dei Secundam Divinitatis perſonam retulit, ut qui Chriſto nomina ſua dederint, has Chriſtianæ doctrinæ offundere tenebras non conveniat. Tota præterea antiquitas ſublimius quid hic intelligendum conſuerunt.

XL.

Nec quæ objicit Flacius eodem in loco tanti ſunt momenti, ut nos â myſterio filii Dei hic intelligendo cogant aut abſtrahant. 1. Opinatur ita ſecundam perſonam cum ſuo Dicere confuſum iri, cum filius ipſe ſæpius quoq; locutus dicatur. Verum confundit Flacius λόγον ſubſtantialem & internum cum verbo accidentali & externo, quod ῥῆμα Græcis proprie nominatur. Filius enim proprie ſubſtantiale Dei eſt verbum, & externum ſeu accidentale ad homines profert & revelat. In Græcis hæc differentia evidentius apparet. Nam λόγος dicitur reſpectu formæ interioris, quatenus λέξεως ejus eſt ſimulacrum quæ conceptum λόγȣ interioris mentis exprimere comparata eſt: ῥῆμα vero formæ exterioris ratione, quâ in oculos vel aures fit influxus, ut veriſsime præceptor noſter piæ memoriæ Bartholinus in lib: de Interpretatione & in procemio Rhetorices diſſerit.

XLI.

Secundo objicit Illyricus: At hinc, ſequeretur verbum Dei ſeu doctrinam eſſe ſubſtantiam & Deum. Facile vero hic nodús ſolvitur. Si etenim de verbo Dei interno loquatur, nihil iſtuc ipſum infert abſurdi, cum D. Johannes dixerit: Verbum hoc eſſe Deum: ſin autem de externo verbo verba fiant, quod auditus ſenſu percipitur & diſcernitur, regeritur, nec verbum tale eſſe Deum: nec Chriſtum eſſe tale verbum, nec Chriſtum eſſe eatenus, qood docetur aut dicitur, ſed

quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

quod docet & dicit, & quo Deus docet & dicit. Et memoratu digniſsima verba ſunt beatæ memoriæ Hunnij in Commentario in Geneſin: Filius Dei non eſt tantùm λόγος enunciatus, ſeu per æternam generationem productus; ſed eſt etiam λόγος enuncians; cum intra Trinitatem, tum etiam reſpectu eorum quæ extra Deum ſunt.

XLII.

Tertium argumentum depromit ex Epiſtola ad Hebr. 1, v. 3. Ubi filio ſuum quoq; verbum tribuitur his verbis: Omnia ferens verbo potentiæ ſuæ. Verùm reponimus illic in textu Græco eſſe ῥῆμα, non λόγον, qua voce filius Dei nunquam denominatur; Sumitur autem in Epiſtola ad Hebr. pro potenti ejus gubernatione & ſuſtentatione rerum omnium, Oſiand. ſeu pro divinâ quadam vi & efficacia, quemadmodum ipſe Flacius paulò pòſt explicat. Summam quidem Flacii eruditionem jure merito ſuſpicimus: verùm novitates, quas extra verbum Dei adfert, non poſſumus non improbare.

XLIII.

3. Potius itaq; venerandæ antiquitatis, Beati Lutheri & Hunnii, veſtigia ſequenda nobis ducimus, qui ſecundam Trinitatis perſonam hic intellectam credunt & ſtatuunt, quemadmodum valdè ſignificanter Johannes in Evangelij ſui exordio expreſsit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & verbum erat Deus: Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipſum facta ſunt. Et ſic intelligendum multi exiſtimant dictum Pſalm. 33. 6. Verbo Domini Cœli creati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

XLIV.

Et ſummâ mentis intentione & grati animi veneratione conſiderandum eſt diſcrimen inter voces Hebraicas דבר & אמר: quod magnus noſter Lutherus in Commentario in Geneſin, & fidus ejus amanuenſis Forſterus in voce אמר protulerunt: In hunc igitur modum Forſterus diſſerit: אמר ſignificat actum dicendi: ſicut דבר notat rei ſeu cauſæ,

 ſeu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

ſeu negocij, ſeu hiſtoricæ aut rei geſtæ diſpoſitionem: Et paulò pòſt in אמר: Quanquam multi alij exiſtiment nomine, דבר dici filium Dei, tamen ſignificatio illius ipſius adverſatur, quod rem ſeu rerum ordinem potius ſignificet, quam ſermonem. Deinde Moſes in deſcriptione Creationis, non verbo דבר, ſed אמר eſt uſus Gen. 1. Et dixit Deus: Fiat lux &c. Conſtat autem ex Johanne Evangeliſta, quod ille ſermo, quo creata ſunt omnia ſit Deus: Et Deus inquit, erat ille ſermo. Et quod λόγος ſermo ille factus eſt caro: quare iſta tria inde colliges: אמר dici ſermonem, ſermonem autem quo condita ſunt omnia eſſe Deum: Deum autem illum, id eſt, ſecundam illam perſonam, quæ eſt filius Dei, factum carnem, hoc eſt aſſumpſiſſe naturam humanam.

XLV.

Magnus autem noſter Lutherus hæc in verba ſtylum ſuum ſolvit in hoc 1. Cap. Geneſ. tom. 6. Witteb. fol. 3. Notanda diligenter eſt differentia, quæ apud Ebræos eſt inter Amar & Dabar. Nos utrunq; reddimus per verbum, dicere ſeu loqui, ſed apud Ebræos hæc differentia eſt. Amar tantùm & propriè ſignificat verbum prolatum. Sed Dabar etiam rem ſignificat. Sicut cum Prophetæ dicunt: Hoc eſt verbum Domini, utuntur nomine Dabar, non Amar. Jam hodie novi Ariani imperitis Ebraicæ linguæ ſic fucum faciunt, verbum ſignificare rem creatam & hoc modo dici etiam Chriſtum verbum. Contra hanc impiam & ſimul inſulſam depravationem rectê admonetur hic lector, Moſen uti verbo Amar, quod ſimpliciter & propriè ſignificat prolatum verbum, ut ſit verbum quoddam diſtinctum ab eo, quod dicit, ſicut diſtinctio eſt inter dicentem & id quod dicitur.

XLVI.

Et ſane ſi Chaldaicam bibliorum expoſitionem excuſſerimus, unde non ſine ratione Johannes τοῦ λόγου appellationem mutuatus ſtatuitur, cum tempore Chriſti & Apoſtolorum vulgo nota & uſitata fuerit, quemadmodum illud ſummus Theologus Chemnitius in locis pag. 53. in loco de filio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

filio Dei annotavit, imò & ipſe Flacius parte poſteriore Clavis Scripturæ Sacræ in tractatu de nomine Jehovah, col. 635I. deprehendetur, quod quæcunque loca de Chriſto putabat intelligenda ſemper מֵימַר יְיָ reddiderit; Alias autem per פִּתְגָמָא aut מְלָא, ſicut in hoc loco Pſalm. 33, 6. aut aliud quippiam transtulit.

XLVII.

Verum notandum eſt, Lutherum non negare filium Dei eſſe ἐνδιάθετον, internum, ſubſtantialem & enunciantem Dei λόγον aut דְּבַר יְהוָֹה in Pſal. 33. nominari, cum ipſe locum Pſalmi paulò pôſt ita exponat fol. 4. Et ex Prov. 8. filium ſapientiam Dei vocet. Verum filium Dei ſaltem enuncians & proferens eſſe verbum, & non prolatum ſeu enunciatum, ad id negandum beatiſsimi Viri verba collimant, quamvis Forſterus durius dicta protuliſſe videatur.

XLIIX.

Rurſus itaq; notatur hic jure merito myſterium Trinitatis propoſitum pro modo & ratione veteri tempori competente. Nam Pater eſt qui dicit, & per hoc verbum ſuum creat; Filius eſt verbum, per quod pater omnia creat, â patre diſtinctus, tanquam verbum â dicente: Spiritus Sanctus ſuper aquas ſuæ miſericordiæ alas expandendo, eas fovet & movet, calorem, Spiritus, vitam, vires ac facultates ingenerat ac infundit.

XLIX.

וַיְהִי אוֹר] Auguſtinus quanquam variis de Angelorum creatione ſententiis eſt agitatus & jactatus; huic tamen ſententiæ maximè adhæſit, quod hic ſint Angeli originalis ſuæ juſtitiæ luce clari intellecti. Poſtea v. cum Deus lucem â tenebris diſtinxiſſe legitur, arbitratus eſt illud completum eſſe, cum Deus malos Spiritus in inferna præcipitaverit & carceribus caliginis inferni detrudens, ut loquitur, tradiderit in judicio puniendos reſervari. Pauca ex ejus verbis ſingulari dulcedine & copia dilatatis adſcribemus: Nos hic duas angelicas, inquit, ſocietates intelligimus, unam fruentem

An lux ſubſtantiam lucidam quãdam v. 3. exprimat, A.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Deo, alteram tumentem typho: unam cui dicitur: Adorate eum omnes Angeli ejus; aliam cujus princeps dicit: Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me: unam Dei Sancti amore flagrantem, alteram propriæ celſitudinis in mundo amore fumantem: illam luminoſa pietate tranquillam: iſtam tenebroſis cupiditatibus turbulentam.

L.

Verùm ipſe Auguſtinus ſe valdè modeſtâ excuſatione in ſubſequentibus purgat: Nos duas ſocietates Angelicas lucis tenebrarumque vocabulis ſignificatas exiſtimavimus, etiamſi aliud ſenſit hoc loco forte, qui ſcripſit, non eſt inutiliter obſcuritas hujus pertractata ſententiæ, quia etſi voluntatem autoris libri hujus indagare nequivimus, â regula tamen fidei, quæ per alias ejusdem autoritatis ſacras literas ſatis fidelibus nota eſt, non aberravimus: Verum quo minus in Auguſtini ſententiam deſcendamus multa ſunt obſtaculo. Nam 1. Quod â tenebris diſtinguitur, 2. Dies vocatur, 3. Veſpertinum & matutinum tempus efficit ac diſtinguit, Angeli nomine nequaquam venire poteſt.

LI.

Multi philoſophorum præſertim pontificiorum hanc lucem accidens fuiſſe merum aſſerunt, & ſine ſubjecto extitiſſe: Ut & alterum multo periculoſius & abſurdius de transſubſtantiatione ſomnium, quod Accidentia panis ſine ſubjecto ſuo illic exiſtant, ſtabiliant. Verum multa hinc abſurda & in prima philoſophiæ principia impingentia ſequuntur. 1. Quod creatio pro termino etiam accidens haberet. 2. Accidens per ſe ſubſiſteret & ſubſtantiæ locum occuparet. 3. Accidens de loco in locum moveretur. Quibus difficultatibus quicunq; ſe temerè citra neceſſitatem intricat, minus operæ pretium facere videtur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

LII.

3. Tutius itaque & firmius cum B. Luthero ſtatuitur, quod lux hæc fuerit ſubſtantia quædam lucida, quæ circulariter circa terram movebatur & acceſſu ſeu præſentiâ ſua diem efficiebat, receſſu vero ſeu abſentia noctem, et poſtea in certa luminaria ſolem & reliquas ſtellas ſit diſtincta & conglobata. Videatur & Ægidius Hunnius in Geneſin Tom. 3. p. 1433.

LIII.

[ויהי־ערב ויהי־בוקר יום אחד׃] Auguſtinus veſperam & mane de matutina & veſpertina cognitione, i e. perfectiori â Deo reſplendente & imperfectiori in ſeipſis & â ſeipſis explicat: In Dei ſapientia, inquit tanquam in cognitione divina (creaturæ cognoſcuntur) in ſeipſis autem tanquam in veſpertina. Dies autem hos ſex de variis variarum, creaturarum cognoſcendarum gradibus explicat. Pauca ejus verba, cum aliâs prolixiora ſint, quam ut in theſium formam ſe redigi patiantur, excerpemus: omnia hæc (recenſuerat autem verbis proxime præcedentibus ſingulorum dierum opera) aliter in verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas rationesq; ſuas, id eſt, ſecundum quas facta ſunt incommutabiliter permanentes, aliter in ſeipſis, illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis atque operum: quæ tamen opera cum ad ipſius creatoris laudem venerationemque referuntur, tanquam mane luceſcit in mentibus contemplantium. lib. 11. de Civit. Dei c. 29.

An veſper, mane, nox & dies naturales temporis menſuras importāt? A.

LIV.

Verum nimis contorta, obſcura & allegorica hæc eſt explanatio, nec Moſes hic ænigmatum ſtrophas aut nodos nectere, ſed rei geſtæ hiſtoriam veram oculis ſimpliciter hominum exponere velle videtur. Itaque tutius ſimpliciter hiſtoriæ fidem habemus credimusq; veſperam & mane pro die & nocte civili ſynechdochicê poni. Nam Dies, qui ex veſpera & mane conſtitutus dicitur, eſt Naturalis & 24. horarum ſpacio abſolvitur, cujus diei numerationem He-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

bræi civili, ut vocant, ratione, à veſpera inchoant: Et ea eſt ratio cur veſpera prius ponitur, quoniam prius fuiſſe creditur. Pulcherrimas autem harum vocum derivationes habet AbenEzra quas adſcribemus: ערב שנתערבו בו הצורות: בוקר שיוכל אדם לבוקר בינות הצורות: Veſper (Heb. ſic dicitur) quod commixtæ ſint in eo formæ id eſt ſpecies ſenſibiles: Mane quod poſsit homo mane judicare (ſeu diſcernere) formas.

LV.

Nec defuerunt, qui dubitarent, cur Cardinalis numerus אֶחָד, unus de primo die ſit poſitum, cum de reliquis uſurpentur ordinales numeri: ſecundus tertius &c. R. Salomon Jarchi hoc factum exiſtimat, quia Deus primo die ſolus eſſet: ideoq; ordinaliter non potuiſſet proferri, cum ordinalis ſemper inter plures verſetur: ſecundo autem die cum Angeli eſſent creati & poſtea, profertur ordinaliter. Verum verius ex uſu non ſaltem Hebrææ, ſed etiam Græcæ & Latinæ linguæ ſtatuitur: quod Unus pro Primus ponatur. Hic Hag. 1. 1. בְּיוֹם אֶחָד לַחֹדֶשׁ: ſic Matth. 28, 1. εἰς μίαν σαββάτων, ſic Cic. de Senect. uno & octogeſimo anno mortuus eſt. Plura videantur apud Druſium in Geneſin cap. 4. Amam. in Antib. pag. 28.

LVI.

וַיְהִי רָקִיעַ] Minus commode vulgatus interpres רָקִיעַ quod expanſionem ſeu expanſum quoddam ſignificat voce Firmamenti reddidiſſe cenſetur. Nam רָקַע, nunquam firmare, ſed ſemper expandere ſeu extendere denotat. Indigitat autem hoc in loco totum tractum ex aere & æthere continuatum, globo terræ & aquæ ſuperiorem. AbenEzra והוא הרקיע הוא האויר: Et iſtud expanſum eſt aer.

Num v. 6. רקיע aerem; & aquæ ſuperiores nubes comprehendant? A.

LVII.

Et ſane ſi totum ſcripturæ codicem, qui Hebraicis literis eſt conſignatus, evolverimus, vocabulum aeri ex æquo competens non inveniemus: ſed ſemper רקיע aut שמים vocibus incluſum & comprehenſum deprehendemus. Hinc volucres cœli v. 28. ſuper ſuperficiem expanſi cœlorum volare dicuntur v. 20. cum tamen ad ſtellas nequaquam perveniant, Etiam

Ciconia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Ciconia in cœlo Jer. 8.v.7. Feneſtræ cœli, & cohibitus eſt imber de cœlo cap. 8,v.2. Ecce ego pluam vobis panem de cœlo, Exod. 16, 4. De cœlo tonare ſæpius in Pſalmis: Cum tamen de media aëris regione pluviæ & tonitrua erumpant. Imo Jer. 10, v.13. dicitur: prudentiâ ſua extendit cœlos, cum ipſe tonuerit, aquarum multitudo eſt in ipſo cœlo, & vapores extrahit à finibus terræ, fulgura pluviis facit, & educit ventum de theſauris ſuis. Qui locus diligentius cum textu Moſaico collatus perſpicuè demonſtrat, quid expanſum hoc ſeu cœlum denotet, ipſum ſc. corpus in quo aquæ pluviatiles ſunt, ex quo tonitrua, fulgura & venti velut, ex utre erumpunt & ſummo impetu dejiciuntur.

LIIX.

Et ſi ſeculares quoq; ſcriptores præſertim antiquitate nobiles, excuſſerimus, hanc ipſam generalem cœli ſignificationem non inuſitatam apud eos inveniemus: Marcus n. Varro, quem Cic. in Academicis quæſt: hominem appellat omnium facilè acutiſsimum & ſine ulla dubitatione doctiſsimum lib. 4. de Latina lingua p. 3. ita diſſerit: Loca naturâ ſecundum antiquam diviſionem, prima duo, Cœlum & terra, deinde particulatim utriusq; multa. Et paulo poſt: Cœlum dicitur duobus modis: & pars ejus ſummum ubi ſtellæ: & id quod Pacuvius demonſtrat, cum dicit: Hoc vide circum ſupraque quod complexu continet terram. Cui ſubjungit: Id quod noſtri cœlum memorant. Sic & Lucretius: In hoc cœlo qui dicitur aer, ſimili ratione & Cicero accipit: Cœlum hoc in quo nubes imbres vētiq; coguntur, quod & humidum & caliginoſum eſt propter exhalationes terræ.

LIX.

2. Ex verſione a. vulgatâ præcipue inducti ſcholaſtici רקיע ſeu firmamentum hoc de ſphæra octava ſeu ſtellarum fixarum orbe explicarunt, putantes ſuper hoc dari cœlum quoddam aqueum, quod ob claritatem cryſtallinum nominaverunt. Verum nihil vel firmamenti vel fundamenti hoc ex loco poteſt extrui.

LX.

Nam poſtquam evicerimus expanſum hoc ſeu cœlum in ſcriptu-

ſcripturis etiam aëreas regiones & tractus continere: non difficulter verba ſequentia explicantur: Et diviſit aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamento. Nã 1. Non ſimpliciter עַל hic dicitur, ſed מֵעַל, quo denotatur eas aquas non tam ſuper expanſo, quam deſuper ab expanſo ſeu à ſuperiore loco expanſi ad nos venire ſeu deſcendere; Idipſum & R. Salomo Jarchi fatetur לא על לפי שהן תלוים באויר non dicitur על id eſt ſuper, quia (aquæ hæ) ſunt ſuſpenſæ in aere.

LXII.

2. Scriptura nunquam niſi duplicem aquam agnoſcit: At ſi nubium aqua hic nõ denotaretur, daretur tertii generis aqua, Et ea videtur cauſa, cur Targum Jeroſolymitanum his verbis expreſſerit; ויהי מפרש בין מיא עלאי ובין מוא ארעאי Diſtinguat inter aquas ſuperiores & inter aquas terreſtres.

LXIII.

3. Moſes hoc capite res ſaltem ſenſibus patentes & communibus hominum uſibus neceſſarias deſcribere videtur: iſtæ v. aquæ cryſtallinæ nec ſenſibus nec intellectui ſunt obviæ, nec hominib9 communiter ullum uſum ſubminiſtrarent: nec niſi miraculosè, & ſupernaturaliter illic ſuſtentarentur. Interim fatemur cum Luthero rem hanc non ſatis nobis cognitam eſſe.

LXIV.

Valde a. periculoſa videtur Origenis opinio, qui per ſuperiores aquas fortitudines quaſdam Angelicæ poteſtatis, ſeu bonos Angelos intellexit: per inferiores a. malos; Hi a. ponderibus elementorum moventur, inquit Auguſtinus lib. de Civ. Dei 11. cap. 34. & ideo non putant aquam fluidam gravemq; naturam in ſuperioribus mundi locis potuiſſe conſtitui &c. videatur & ejus commentator Vives ibidem.

LXV.

Sed nos vela paulum contrahamus & ad hominem operum Dei ſummum, ultimum & ipſi conjunctiſsimum appellamus. Nam aggreſſurus Deus hominis creationem, ut ſingulari curæ hoc opus ſibi futurum demonſtraret, conſultationem

nem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

nem quandam quaſi inſtituit: Tres autem divinitatis perſonæ coæternæ conſubſtantiales & coæquales invicem numero plurali colloquuntur נעש׳ אדם בצלמנו כדמותנו Faciamus hominem in imagine noſtra ſecundum ſimilitudinem noſtram.

LXVI.

Acres autem contentioness & conflictus de his verbis fuerunt, non ſolum inter Judæos & Photinianos: verum etiam inter Antropomorphitas, Pontificios, Flacianos & alios qui Chriſto ſua nomina dederunt & Chriſtiani appellari volunt. Ἁπάσας μὲν οὖν ἐξετάζειν τὰς δόξας ματαιότερον ἴσως ἐστιν, ἱκανὸν δὲ τὰς μάλιστα ἐπιπολαζούσας ἢ δοκούσας ἔχειν τινὰ λόγον: inquit in Ethicis Philoſophus. Duplex autem his de verbis præcipue controverſiæ ſtatus in dubium vocatur, 1. qui ſint illi qui hic colloquendo conſultent, ſeu quæ ſit hominis creandi cauſa efficiens. 2. quæ ſit imago & ſimilitudo dicta.

LXVII.

Nam 1. Fuerunt inter Judæos quidam qui verba hæc Moſis eſſe putaverunt, & נַעֲשֶׂה illud, participium paſſivæ conjugationis Niphal eſſe voluerunt, hunc in modum ſententiam reddentes: factus (eſt vel ſit, id eſt, fiat) homo ad imaginem noſtram (ſc. hominum:) quemadmodum AbenEzra in commentario ſuo refert his verbis: יש אומרים כי מלת נעשה שם התאר מבנין נפעל כמו ואשר היה נעשה ליום אחד ואמרו כי בצלמנו כדמותנו דברי משה ופירשו ויברא אלהים את האדם בצלמו שהויו שב אל האדם ויפרשו בצלם אלהים שהאלהים דבק עם עשה כאילו אמר כי האלהים עשה את האדם בצלם: Sunt qui dicant, quod verbum נַעֲשֶׂה ſit nomen formæ (i.e. Adjectivum) â conjugatione Niphal, juxta illud Neh. 5, 18. Et quod erat factum (præparatnm) ad diem unum: Et dicunt quod in imagine noſtra ad ſimilitudinem noſtram ſint verba Moſis: Et interpretati ſunt illud: Et creavit Deus hominem in imaginẽ ſuam, quod pronomen ſuâ referatur ad hominem: Et

An 3. divinitatis perſonæ, v. 21 colloquantur? A.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Et explicaverunt illud; In imagine Dei, quod Deus cohæreat cum עשה quaſi dixiſſet, quod Deus feciſſet hominem in imaginem.

LXIIX.

O Judaicam inſaniam & delirium! Adeone expreſſa ſcripturæ dicta depravare, & in perverſam mentem rapere ac detorquere, ulli hominum vel ſpecietenus in mentem venire poteſt? Nec ſane ſententia hæc reſponſione digna apud Chriſtianos videtur: Verum AbenEzra refutat, & veriſſimè פירוש חסר לב interpretationem hominis vecordis eſſe pronunciavit, his rationibus nixus 1. Eſſet ita ויהי נעשה quæ particula quoniam de reliquis rebus minimè eſt omiſſa, multo igitur minus in hominis creatione poterat omitti. 2. Illud ex v. 27 בצלם אלהים ſi, אלהים ad עשה eſſet referendum, tunc eſſet בצלמו: fundamẽtum reſponſionis eſt: quod Relatum (Imago) ſine correlato ſuo intelligi non poteſt, 3. Ex loco parallelo Gen. 9. v. 6. in imagine Dei fecit (Deus) hominem.

LXIX.

II. הגאון, citante AbenEzra, putavit, quod Deus de ſemet numero plurali more magnatum ſit locutus. Verum nullibi in ſcriptura demonſtrari poteſt, ubi quis de ſe ſolo numero plurali perinde ac in aliis quibusdam linguis loquatur, Exempla verò quæ pro ſe Rabbinus adducit, rectiſsime AbenEzra dicit עדי שקר teſtes eſſe mendaces, quod contra novos antiquarum hæreſium incruſtatores diligenter eſt animadvertendum.

LXX.

Primum locum deprompſit ex Gen. 29. v. 27. נתנה לך גם את זאת; in eo, inquit AbenEzra נתנה eſt præteritum Niphal, per Vau converſivum præteriti in futuri ſignificationem converſum, ut inde ſenſus emergat: Et dabitur tibi etiam illa. Addimus ex ſuperfluo, quod ſi vel eſſet futurum tempus in Kal. pro נתן, cum ה paragogico, includeretur tamen etiam illic uxor & amici Labanis, qui in matrimonio virginis diſpenſando locum jure meritò habebant.

Secun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

LXXI.

Secundum locum ex Dan: 2. v. 36. protulit. Et interpretationem ejus dicemus coram Rege. Verum quæ quæſo poteſt hic eſſe cohærentia, cum enim Daniel fuerit Nabuchodonoſoris ſubditus, imò nondum inter principes Babyloniæ relatus, ipſe ne tanto arrogantiæ faſtu inflatus erit ac correptus, ut coram Domino ſuo & Rege, regio ſummæ majeſtatis ſpiritu tumente & terribili, de ſe audeat more magnatis ſeu ſuperioris verba facere. Certius itaque Daniel ſocios ſuos participes ſui conſilii includere velle ſtatuitur, quâm tantæ inſolentiæ nota ipſi temerè inuritur.

LXXII.

Tertium locum ex Num. 22, 6. adduxit: אולי אוכל נכה בו: Regerit AbenEzra: 1. Includi poteſt hic etiam exercitus ejus. 2. poteſt infinitivus eſſe Pihel, licet plura in Pihel tempora formata non inveniantur.

LXXIII.

III. AbenEzra itaq; in eam fertur ſententiam quod Deus Angelos alloquatur, quemadmodum magnus ille Deus apud Platonem ſuos Deaſtros: אמר השם למלאכים inquit: נעשה אדם אנחנו נתעסק בו ולא המים וארץ Dixit nomen (1. Deus) Angelis: faciamus hominem, nos laboremus in eo, & non aqua & terra. Nec aliter ipſe S. Jarchi ſenſiſſe videtur, licet ex traditione, ut videtur, majorum dicat, Deum cum domo judicii ſui locutum eſſe: in qua quis poteſt alius habitare, quam ipſæ tres divinitatis perſonæ.

LXXIV.

Verum Angelos ad Creationem nulla ratione admittere poſſumus, ſunt enim ipſi creati & finitæ potentiæ, & in Scripturis non creatores hominum, ſed conſervi vocantur Apoc. 19, 10. & C. 22. v. 9. imò adminiſtratorii Spiritus Heb. 1. v. 14. Et quod Deus hominem creare non voluerit, quæ cauſa eſt? An Dei majeſtas? cum multas homine longè inferiores ſubſtantias condiderit. An verò impotentia? cum ipſe infinitæ potentiæ ipſos etiam Angelos ex nihilo facilimê produxerit. Videatur Hunnius in Geneſin.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Certo itaque concluditur tertio adorandæ Trinitatis myſterium hoc Cap: eſſe propoſitum. Ideoq; garriant, quicquid velint Judæi & Photiniani, adeò tamen clare venerandæ Trinitatis radij hoc in Cap: oculos non occludentibus, reſplendent, ut, nolint velint, fateantur tamen neceſſe ſit, valdè fortiter oculorum ipſorum aciem ferire, ut vel ipſi, licet oculis pertinaciter conniveant, inde perturbentur & excoecentur.

LXXVI.

An Imago Dei v. 26. juſtitiam & ſanctitatem veritatis in homine ſignificet? A.

Altera ex his verbis exoritur quæſtio, de imagine & ſimilitudine, ſecundum quam homo eſt conditus: ubi valdè varias vias ingreſsi interpretes multis ambagibus oberrant & circumducuntur. Nec omnes anfractus & angulos nobis perquirere liber, ſed ſtrictim ſaltem varietates videbimus & meliorem ac veriorem viam nobis eligemus. Prima itaque viâ craſsis orbitis tritâ Antropomorphitæ procedunt, qui ſomniant Imaginem Dei in externa hac membrorum figurâ & cohærentia conſiſtere: A quibus quoad rem non multum abfuerunt, qui Imaginem ipſius hominis hic intelligendam putarunt, quemadmodum prius ex Aben-Ezra recenſuimus. Verum nimis craſſa eſt hæc opinio: Spiritus enim carnem & oſſa non habet, Luc. 24. v. 39.

LXXVII.

2. Abenezra cum ſuis Rabbinis de Angelorum imagine hæc explicat: Verùm Onkelos evidenter ipſum refellit, transferens; בצלמא דיי ברא יתיה Sic & Targum Hieroſolymitanum v. 27. pulcherrimè reddidit: ויברא מימרא דיי ית אדם בדמותיה בדמות מן קדם יי ברא יתיה דכר וזוגיה ברא יתהון Ubi 1. dicit verbum Dei ſingulariter ad hanc creationem concurriſſe. 2. In ſimilitudine ipſius Dei hominem eſſe conditum: יי n. decurtatum nomen eſt à יהוה nec ulli niſi verò Deo tribui poteſt. 3. Imago à facie Dei quid aliud poteſt eſſe quam juſtitia & ſanctitas Dei, quæ ex operibus ejus elucent?

Origenes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

LXIIX.

3. Origenes imaginem Ipſum filium Dei eſſe putavit: Alii per ſimilitudinem Spiritum Sanctum voluerũt intellectum, videatur Vives in 12. Auguſt. de Civit. Dei c. 23. Verum Apoſtolus ad Eph. 4, 24. non de ſubſtantiali, ſed accidentali quadam re hæc interpretatur.

LXXIX.

4. Auguſtinus utrunq; de præſtantia animæ rationalis præ reliquarum rerum formis explicavit: 12. De civ. Dei, c. 22, Scholaſtici verò imaginem de donis animæ rationalis naturalibus: Similitudinem autem de ſupernaturalibus gratiæ interpretantur. Verum 1. Ita Diaboli quoque imaginem Dei adhuc retinerent. 2, Gen. 5, 3. Adam dicitur genuiſſe filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ubi diſtinctio data non quadrat. 3. Scriptura has voces permutat & promiſcuè uſurpat.

LXXX.

5. Matthias Flacius Illyricus Imaginem Dei explicat per ipſam Subſtantiam hominis, quatenus Deo adjuncta fuit, quæ jam ſit mutata in imaginem Diaboli, peccatum Originale & ſubſtantiam per ſe malam. In tractatu de peccato Originali, parte 2 clavis, col. 651. & ſeq. Verum hac ratione homo jam non eſſet homo, & Chriſtus aut non participaſſet de eodem ſangvine & carne nobiſcum, Heb. 2. 14, aut non niſi peccatum aſſumpſiſſet, redemiſſet, & ſecum in cœlum tranſtuliſſet. Quæ abſurda ſunt abſurdorum abſurdiſsima.

LXXXI.

6. Verius itaque credimus & ſtatuimus Imaginem & ſimilitudinem ἐξηγητικῶς ϗ ἐκ παραλλήλου eſſe conjuncta, & ſignificare ſicut Paulus ad Eph. 4, explicat, juſtitiam & ſanctitatem veritatis, & conſiſtebat in totius hominis perfectione, omnium animæ & corporis virium rectitudine, integritate, puritate, ac cum lege divinâ conformitate, adeò ut homo Dei ἀρχετύπου ſui imagine totus colluceret. Quam ſententiam propugnant Luth. in Geneſ. Hunnius tom. 3,

col.

col. 1438, Gerhardus tom. 2. de imagine Dei Quam ad imaginem, retectâ facie gloriam Dei tanquam in ſpeculo intuentes, à gloria in gloriam nos transformet, conformet ac confirmet cœleſtis Pater per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

Corollaria exercitii gratiâ addita.

V. 7. שָׁמַיִם, non videtur eſſe compoſitum, 1. vel ab אֵשׁ & מַיִם: 2, vel à part. שֶׁ & מַיִם; 3, vel à שָׁם & מַיִם, ut R. Schelomo Jarchi habet: ſed ab alia quadam radice deſcendere, cui in lingvâ Arabicâ reſpondet סַמַוַה, excellere, eminere, Erpen. in rudim. Arab. N. 2. unde Aben Ezra rectè dicit illud ſignificare גוֹבַה וּמַעֲלָה, altitudinem & eminentiam.

II.

V. 20. Non neceſſe videtur ſtatuere aves ex aquis eſſe productas: Nam Athnach ſententiam diſtinguit, & nullum illic eſt relativum.

III.

Pſalm. 16, v. 2. טוֹבָתִי בַּל עָלֶיךָ, hic ſenſus ineſſe videtur; Quod Chriſtus ſuper Deum ſuperius bonum non habuerit.

IV.

Non neceſſe eſt aſſerere *ἀνανταπόδοτον* vel *ἀποσιώπησιν*, Luc. 19, v. 42, his Chriſti verbis ineſſe: *Εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρα σου ταύτῃ τὰ πρὸς εἰρήνην σου.* Imò particula *γε*, quæ illativa eſt, obſtat, quo minus id ſentiamus: Verum Ellipſis ſaltem verbi ſubſtantivi eſſe videtur, ut hunc in ſenſum ſit transferendum: Si cognoſceres & tu, (ſc. ut ego,) etiam utiq; hac die tuâ (eſſent) quæ ad pacem tuam facerent.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Induſtriâ Præſtantiſſimo ac Doctiſſimo

Dn. CLAUDIO JANI
VVardebergenſi Dano, SS. Theol. Studioſo, Contubernali ac Amico fraterno de Creatione diſputanti.

NAtali patriæ, magnis ſimul atq; Patronis
Dulcis cenſetur, cujus ſpes magna refulget:
Dulcior at, cujus fructus reſpondet amœnus.
Æmulus ejusdem, mi Conjunctiſsime Claudi,
Ingenii fœtus dignos protrudis amore.
Perge age, mi Claudi, ſtudiis incumbere ſacris,
Patria quo carpat fructus ſimul atq; Patroni.
Sic Deus aſtripotens doctorum fautor & autor
Affatim tribuet doctrinæ præmia larga.

In amoris τεκμήριον
gratulabundus apponebat

HENRICUS A. BRUNO
Hatterslebiâ-Holſatus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 00784 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-64 4° 784